

AB

40 $\frac{12}{K, 14}$

over G. f. 27

Theologie
E. v. 397.

10





AB 40 $\frac{12}{14}$

IACOBI SA

DOLETI EPISCOPI

CARPENTORACTIS

*Interpretatio in Psalmum Mi
serere mei Deus.*

Haganoæ, per Iohan. Secerium.

ANNO M. D. XXVI.

JACOBI SA

GOLETTI BRISCOPI

CARPENTORACTIS

Interpretatio in Germanam

Interpretatio

Interpretatio per Johann. Sectarius

A. N. O. M. D. XXVI.

da
m
n
p
ia
m
lu
co
sa
ra
ue



IACOBVS

SADOLETVS CARPEN

TORACTIS IO. MAT

th. eo Giberto Episcopo Veronæ.

S. P. D.



SAEPE IN SERMONI
bus nostris, quos amicissime,
& suauissime inter nos habe
re soliti sumus, incidit mentio
de literis sacris, quibus tu,
pro tua præstanti in res chri=
stianas uoluntate, mirifice de
ditus es, cunq; laudares uehementer Psalmorũ uolu=
men, deq; eo ita sentires, nihil esse uirtuti, religio=
niq; conducens, quod non in illo libro præclare scri=
ptum & præceptum esset, memini assentiri me tibi,
iacereq; præterea significationem eiusmodi, cupere
me, si unquam ocium essem nactus, interpretari uo=
lumen illud, & commentarios conficere, in quibus
commouendis legentium animis ad amorem rerum
sacrarum & studium ueræ pietatis, omnem meam cu=
ram & diligentiam ponere cogitarem, quibus te meis
uerbis recordor commotum suspirasse aliquanto con=
a ij

tentius, atq; ut facile tua proba mens & animus erga
Deum propensus appareret, instituisse petere à me,
ut si minus omnes, saltem Psalmos aliquot in præsenti-
tia sumerem interpretandos, quo tibi maxime sitienti
eorum quæ in his inclusa & abdita sunt, mysteriorũ,
meam opinionem & sententiam aperirem. In quo,
etsi uincebar omnino amore tui, tuæq; uoluntati non
parere nefas ducebam, tamen q; tibi mea occupatio
ipsa denegabat, reieci te ad scriptores ueteres sanctis-
simos homines, quorum plures ac uariæ in id opus lu-
cubrationes extant egregie scriptæ, ex quibus posses
intelligentiæ haurire tantum, quantum uelles. Quos
omnes, tu cum optime haberes cognitos, dixisti, pro-
bare te quidem scripta illorum & maximi facere, sed
q; eorum nonnulli ieiunius scribant, quàm tantarum
rerum uideatur explicatio postulare, quidam propo-
sitis sententiæ finibus egressi, alieniora quandoq; col-
ligant, cupere te in alteris quidẽ aliquanto plus uber-
tatis, in alteris, minus redundantia. Suscepi igitur, tuo
isto desyderio & beneuolentia adductus, unius Psalmi
munus, non tam interpretandi nunc quidem, quã ex-
empli in eo ædendi, ad quod, meo quidem iudicio,
omnem huiusmodi interpretationem tractari oportere-
ret, non eadem fortassis ubiq; copia, sed eundem ad-
modum, quo sensa illa mystica & diuina, non solum
scrutari

scrutantibus patere possent, sed adhiberentur animis
quoque ad amorem Dei & huius cœlestis scientiæ cultū
accendendis. Nam qui in una insistent litera, aut qui
moralem sensum duntaxat, quique mysticum, alle-
goricumue suscipiunt, ij mihi uidentur in eo corpore
quod tractandum totum est, sectiones facere minime
necessarias, ut si in Phidiæ statua, cum integrū simu-
lacrum cognoscere aueremus, basim ipsam tantum-
modo, aut aliquod seorsum membrum niterentur de-
monstrare. Neque ego hoc, quod ego omnia putem confun-
denda, qui enim id liceat, in tam immensa Spiritus
Sancti copia, cuius momento in uniuersa permeans
uis est, sed quod ut captus erit intelligentium, utiliora
quæque & præclariora statuam non oportere postponi.
Verum de hoc meo iudicio, tuū mihi Giberte doctissime
futurum est iudicium. Elegi autem Psalmum hunc,
qui mihi maxime & meis fortunis aptus est, qui in his
uitæ mortalis fluctibus enauigandis obruerer planè,
infirmo admodum & debili meæ uirtutis remigio, nisi
ad misericordiam Dei, tanquam ad portum meæ spei
& salutis receptū haberem, ad quam quidem po-
scendam atque implorandam, hic proprie Psalmus or-
dine quinquagesimus, uideatur esse factus. Hanc ue-
ro ipsam lucubratiunculam, tibi potissimum & no-
mini tuo dedicaui, multis quidem de causis, uel do-

Erinae tuae, uel uirtutis, uel summi inter nos amoris.
Nam cum nullū par duobus nobis, in hac ciuitate ami-
citia est coniunctius, tum tua uirtus eiusmodi est, ut
penē incredibili, & inaudita laude, neq; maximarū
multitudine occupationum, de bonarum literarū stu-
dijs aliquid imminuat, nec propter literas quicquam
patiatur negocijs esse detractum, fructus quin ipsos
etiam doctrinae, ac scientiae præclaros & uberes ad
res gerendas transferat. Adde quod uel caput est ne-
cessitudinis nostrae, quod eidem Pontifici maximo an-
bo operam nauamus, cuius mens præcipue ad res sa-
cras propensa est. Qui cura, labore, consilio, sa-
pientia ad fulciendas christianitatis ruinas, à Domino
Deo electus, tam admirabilem præstat integritatem
ac diligentiam, ut in hoc uno, illa longe eminēs, &
cæteris multum prælata Pontificia dignitas, uirtute
ipsius tamen ac religione ualde inferior esse ui-
deatur, cui dum in inseruendo sumus,
satis nos beatos esse iudicamus. Sed
hæc hætenus. Tu ut munuscu-
lum hoc à me grate accipias,
magnopere à te mi Gi-
berte iucundissi-
me peto. Vale.

I N P S A L M V M M I

serere Argumentum.

DAuid Isai Bethleemita filiorum natu minimus, decorus & pulcher aspectu, cum greges Patris sui quotidianus ductaret ad pascua, muniente iam Domino ad liberationem humani generis uia in Christo IESU filio suo ex sanguine Dauidis, eodem Deo Samuelem Prophetam ad id operis legante, inopinantibus omnibus, inunctus in regem est. Quæ unctio erat certissimum indicium futuri principatus, reges tunc palam in populo suo Israel creante Deo, quod nunc in omni natione facit occulte. Itaque haud multo post accersitus in aulam Saulis Regis, ac deinde ad exercitum factis fortibus cognitus, nobilitatus fama, diuino etiam consilio de eo diuulgato, pro successore regis haberi omnibus coepit, ob quæ suspectus primo in sensusque regi, atque eidem saepe reconciliatus, alterna nunc gratia, nunc inuidia, postremo quæri ad mortem ab eo coeptus est. Ita saepe insidijs & periculis agitatus, ac quandoque penè circumuentus, Deo tamen inimicorum consilia, aduersus seruum suum ad nihilum redigente, incolumis seruatus est, donec Saule & filio Saulis Ionatha, à Philistæis in praelio interfectis, regnum Iuda primum, post totius Israelis, obtineret. Quod cum administraret uirtute quadam

a iij

egregia, gereretq; sese aduersus Deum pie, erga ho-
mines prudenter, presenti quoq; Dei auxilio, &
magnis promissionibus confirmatus, qui perpetuatu-
rum se Dauidis semen in Regni æternitatem spon-
derat, auxit, & stabiliiuit imperium, hostibus finiti-
mis, circunquaq; perdomitis, re & gloria domi par-
ta. Verum, ut sunt hominum ingenia procia ad
delinquendum, quorum sæpe uirtutis neruos secun-
dæ res dissoluunt, quos aduersæ intenderant, in fa-
cinus & scelus, abalienato à Deo animo, libidine cæ-
ca lapsus est, obsidebat ea tempestate Rabba oppi-
dum uicinæ Syriæ, duce exercitus Ioab Saruiæ filio,
ipse domi manens, ubi forte die ociosiore, cum in-
ambulare in pergula, excelso & circumspectante lo-
co, aspexit repente è regione mulierem honesta facie
& liberali Bersabee nominatam, uxorem Uriæ uiri
fortis, & tunc in exercitu pro regis fama & uicto-
ria dimicantis, in ea subito commotus rex, accersi-
tam compressit, grauida q; facta, cum cerneret peri-
culum illi à uiro, à cæteris ignominiam in promptu
esse, missis ad duces suos literis, Uriam hostibus pro-
dendum in prælio, & interficiendum curauit. Ipse
Bersabee potitus est. Non tulit hanc iniquitatem iu-
stus Deus, missoq; Propheta Nathan, denunciauit
ultionem Dauidi à domesticis stupris & cædibus, ab
ipsius

ipsius fuga, filiorum morte. Percussit illico regis animum peccati deformitas, & pristini status momordit recordatio, cum cogitaret iam confusus mente, ac perterritus in quem locum sese imprudens demisisset, quo est gradu diuinae gratiae praecipue in abruptum uitiorum datus esset. Igitur urgente uel poenitentiae, etiam horrore sceleris, ac desiderio reconciliandae Dei uoluntatis, incendit dolor, in huius sancti & uere salutaris Psalmi gemitum prorupit, peccatum quod sedulo occultarat, aperte confitens, supplicium quod cominatus fuerat Deus, non recusans, ipsius tantum misericordiam & peccati sui extersionem, ueteris quoque gratiae restitutionem implorans. Qui Psalmus cuncto quidem aegrotanti generi humano praecipue conuenit. Sed is nunc nobis ex Dauidis persona interpretandus est. Qui etiam latinis & graecis, in finem inscribitur, quoniam sensus eius & Prophetia ad ulteriora transit tempora.

Miserere mei Deus secundū ma-
gnam misericordiam tuam, Et
secundum multitudinem miseratio-
num tuarum dele iniquitatē meam.

Statim de principio apparet facinoris grauitas, & pœnitentiæ uis, ac doloris magnitudo, magnā enim continuo implorat misericordiam. Prætermisit autem narrationem culpæ, quam admiserat, uel tanq̄ aduersus Deum, cui omnia aperta esse intelligebat, uel secutus affectum communis naturæ, quo solent, qui aliquo intolerabili malo ita oppressi sunt, ut necessitas auxiliij non recipiat moram, dimissis cæteris, illud ipsum unum iterare clamando, quod efflagitant. Sic Dauidi maximum erat malorum, & morte longe peius, alienum à Deo esse. Itaq; misericordiam protinus implorat, excutere quippe à se conatur pondus peccati, quo deprimebatur, ut redire possit cum Domino in gratiam, unde unius criminis culpa fuerat repulsus, ac deiectus. Ac in Dauide quidem hæc geminata, & usq; adeo uehemēs Dei misericordiæ efflagitatio declarat impatientiam dissidij, uim doloris, pœnitentiam criminis. Populo uero in captiuitate posito, & nobis misere affectis, quo nam modo necessaria est? qui non uno crimine conuicti, sed uno uix, aut altero

altero in uita recte facto, cōtinuata scelera distinguen-
tes, hac spe sola diuinæ misericordiæ, salui esse possu-
mus. Neq; expetimus eam tamen, & obstinati pergi-
mus, cœu fluctum ex fluctu, sic peccatum ex peccato
inuenientes. At magnus ille Dauid ita pauloante
apud Deum gratosus, ut maximi promissi ab eo dig-
nus habitus esset, quiq; ipso utebatur Deo & patro-
no & consiliario, nunc prostratus & gemens, Mise-
rere mei Deus inquit, tantum ne? Immo secundum
magnam misericordiam tuam. Nam magnum suum
intelligebat peccatum. Ad uulneris porro magnitudi-
nem, par medicinæ uis adhibenda erat, itaq; oleum
coelestis misericordiæ, totum in se effundi orat. Et
omneis miserationum fontes inuergi, ut deleantur pe-
nitus criminis sui uestigia, cui si tanta uis miserationis
necessaria erat, quæ satis erit nobis? nisi q; Dei mise-
ricordia infinita est, infinitum est quod offendimus
peccando, doleamus modo hoc ipsum nos peccare,
infinitum est quod parcit miserendo.

**Et secundum multitudinem mi-
serationum tuarum, dele iniquita-
tem meam.**

Multiplex peccatū non una miseratione contentū
esse potest, & sanè multis modis deliquerat Dauid.

Nam & libidinosus, q̄ non suam, & iniustus, q̄ alterius toro castis nuptiis illigatam mulierem uiolauerat, & crudelis, quod innocentem sanguinem mandauerat effundi, & ingratus, q̄ homini de se benemerito, cruentam mortem obtulerat. Quam excetram tot delictorum ab uno libidinis facinore prouenientium, multitudo quoq; diuinarum miserationum debuit extinguere. Multæ sunt, inquit alio loco, miserationes tuæ domine, quæ nisi ualde multæ essent, nec ita multis ignosceretur, nec ita sæpe, neq; ita multum, tantæ autem & tam multæ sunt, ut si in unum locum cōferantur, omnium hominum quot sunt, fuerunt, erūt, iniquitates & peccata, quarum multitudo nullo contineri numero uidetur, longe tamen sint plures miserationes Dei. Proinde nemo in dissidentiam cadat, ad multitudinem tantum iniquitatum suarum, imploret multitudinem Dei miserationum, & paucas secum lachrymas, solum humilitatis & ueræ pœnitentiæ afferat. Sit quantumuis coopertus sceleribus, obrutus peccatis, immensum illi è uestigio pelagus diuinarum miserationum, ad abluendum, delendumq; peccata expositum & patens futurum est.

Amplius laua me ab iniquitate
mea, & a peccato meo munda me.

Amplius

Amplius. Quid est hoc amplius? num parum fidei
Deo dilecte David, te ipsius esse misericordiam con-
secutum? atqui eius tu potissimum qui cum familiari-
ter propè uersatus es, naturam nosse Dei potes, ple-
nam clementiæ & miserationis. Dedit iam tibi ille, ne
uerere, ueniam deprecanti, & peccatum tuum tran-
stulit, cum animum & studium tribuit deprecandi.
Sed pudebat optimum regem ulceris sui, ulcus enim
animæ, peccatum est, quod & si capitale non sit, si
uel periculo iam euasit, uel ad periculum non accessit,
fœditate tamen sua & purulentia odiosum est. Hoc
ulcus, quod mortiferum modo uulnus Dauidi fuit, cœ-
lestis nunc medicina misericordiæ in spem certam sa-
nitatis reuocatum, fetoris adhuc multum, horrorisq;
retinebat, propter quæ sibi ipse displicens David,
etiam atq; etiam, laua me, inquit, ab iniquitate mea.
Licet enim hæc sceleris mei plaga, Domine Deus, tuæ
misericordiæ dono, ad mortem non sit, est tamen ad
deformitatem, à qua mundare me uelis, atq; eiusmo-
di in me sordes omnes abstergere, ut in conspectu tuo
mundo prodire liceat, & sanè quo emersus iam è ba-
rathro ad Dei lucem & pulchritudinem magis appro-
pinquat, hoc cum offendit magis peccati deformi-
tas. Orat igitur se ab iniquitate lauari, quod homici-
dium est, & à peccato mundari, quæ libido est,

Quid est hoc?
Amplius?

ut ne signum quidem admissi criminis appareat. Ac nimirum pristinam Dei gratiam appetit, quæ mundis datur, quia fruebatur ipse in primis, antequam tanto errore inuolueretur. Ad hanc anhelat, huc suspirat, nec qui nuper ex illius gratiæ fructu beatus fuit, sola nunc medicina, quæ ad salutem sit, potest esse contentus. Aliud enim est ignosci errori, aliud, honorē haberi fidelitati.

Quoniam iniquitatem meā ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.

Publicanus qui orabat in templo, nec audebat oculos attollere in cœlum, cum ita precaretur, Deus ignosce mihi peccatori; non ex illo gestu, aut illa detractione oculorum, neq; item ex eis, quæ ore proferebat uerbis, iustificabatur, sed quia ab intimis cordis sui indignum se ducebat, & peccatorem agnoscebat. Non enim in eo quod loquimur, sed in eo quod sentimus iustificatio est. Sic Dauid uerbis quidem ad obsecrandum uehementibus, misericordiam Dei suppliciter deprecatus est. Sed uerba illa eatenus ualent, quatenus indicia & notæ intestini doloris sunt, quem dolorem contrahit peccati recognitio, & eundem exprimit in sermonibus humilis delicti confessio. Vbi
ergo

ergo iste dolor? quoniam iniquitatem meam ego cognosco, inquit, & peccatum meum contra me est semper. Ista iam sunt cordis uerba, potius quam oris, & quidem eadem uera arma sunt, quibus uincimus iram Dei, & ab eo misericordiam extorquemus. Sit ille quantumuis iratus, quantumuis furore ardens, quantumuis acer ad ulciscendum & paratus, ut iam distrinxerit gladium seueritatis suae, agnosce peccatum tuum, & illud tibi aduersarium constitue, omnem subito Dei iram & impetum perfregisti. Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Et ipse Dominus in Euangelio, iudica te metipsum, inquit, & non iudicaberis, & Paulus, si nos metipsos iudicaremus, non utique iudicaremur. Unde obsecro tanta uis huius est cognitionis & iudicij, quo quis aduersus se sententiam fert? nempe ex eo, quod qui se ipsum condemnat iusto iudicio, iustus iam fit, ut si prior iniquitas poenam commerita erat, posterior haec iustitia, suo non sit premio fraudanda, uel eo etiam magis, quod poenam illi iniquitati haec iustitia attulit, haec enim illam condemnauit, haec pudorem & poenitentiam & dolorem prioris admissi dedit, passa est iniquitas aliquod supplicium, quis nunc mercedem reddat aequitati, nisi illam Deus in suae benignitatis gremium recipiat? utinam nunc

omnes nostra ipsorum feueritate condemnemur, ut
ne inexorabili ad extremum Dei iudicio puniamur.
Miserere ergo mei ò Deus, David inquit, effunde
super me omnem misericordiam tuam, amplius laua
me & munda ab iniquitate mea, magna est compre
catio, & quidem erga magnum Deum, sed haecenus
est rogantis. Quod uero sequitur, cur impetrare de
beat, iam etiam est cogentis. Quoniam iniquitatem
meam ego cognosco inquit. Si enim propter crimen
damnandus sum, ego ipsum me condemno, si poena
inferenda, & daturus sum, & do in praesentia poe
narum satis, dolore opprimor, uerecundia flagro,
dissidium tuum non fero, & quotidianum, perpe
tuumq; supplicium, à peccato mihi aduersante exigor,
noli obsecro tu Deus potenti manu tua augere haec,
& grauiora facere, habent ista per quod fiant, non
conuenit naturæ tuæ, non consentaneum est omnipo
tentiae, ut contra folium quod uento rapitur, osten
das potentiam tuam & stipulam siccam persequare.
tu fac ea potius, quæ nemo ualet, nisi tu. Miserere
tu Deus, quia alius nemo est qui misereatur, dele om
nem iniquitatem meam, quod facere alia nulla potest
nisi coelestis tuæ misericordiae medicina. Laua et mun
da me, quoniam tua haec est, & non alterius pote
stas, solus enim tu, ex immundo facere mundum potes.
Ego

Ego enim iniquitatem meam cognosco. Quid ista cognitio? quo spectat? ut fiat iustum, seuerumq; iudicium. At non intulit mentionem iudicij, ea re quidem, quoniam idem est cognoscere peccatum & cōdemnare. Non enim cognoscit, qui sub aliqua nihilominus boni specie id admittit. Nec uero sensus ceteri, si quid illis asperum & noxium offeratur, sentiunt illud simul & refugiunt, & mens tanto sensibus nobilior, ubi id cognouerit, quod eam maxime corrumpit, non reijcit illud à sese & repudiat, nam nec sensibus, illa ipsa, quæ fugiunt, nocentiora sunt, q̄ peccata animabus. Subiunxit autem quod ex iudicio & damnatione peccati sequitur, & peccatum meum contra me est semper. Infestum enim, aduersarium, inimicum maxime peccatum fit, posteaq; est condemnatum. Nam antea quidē dum tibi blandiebatur, dum assentabatur, dum te uenenatis inescabat uoluptatibus, gerebat inimicitias nihilominus, sed occultas, & te proditione nefaria oppugnabat. Laruatum enim erat, præ se ferebat faciem blandi ac uenusti, intus uero horribilis effigies erat. Postea uero quam agnitum à te & repudiatum & damnatum est, direptis laruis, ueluti quæ iam nulli usui sunt, ad apertam uim uersum, omnē suam tibi offert monstruosam infortitatem, urget, terret, angit, quo te cunq; uerteris, obuertitur, teq; nec

b

uigilantem, nec in somnis patitur requiescere. In quo tanto angore atq; ærumna cōstituti, qui uerū in Dei clementia per fugium non nouerunt, temeritate quadā inconsiderata in illud ipsum irruentes, quod fugere debebant, desperationi sese dedidere, de quibus trophæum miserum atq; infelix, à peccato uel à patre potius peccati diabolo, est constitutum. Qui uero melius sibi consuluerunt, opem atq; auxilium petierunt ab inimico peccati. Nihil autem inimicius est, nec magis infestum inter se q̄ peccatum & Deus, ut nullo pacto possint in unum conuenire. Peccatum tuum est, contra te est Deus, aduersus te est peccatum, Deus tecum est, donet ergo ille nobis hostibus semper esse peccati, ut sub ipsius excelsæ dexteræ patrociniō possimus, & securi esse semper, & beati.

Tibi soli peccaui & malum corā te feci, ut iustificeris in sermonibus tuis, & uincas cum iudicaris.

Hic locus ualde anxios habuit expositores, & multæ quidem ac uariæ interpretationes sunt. Sed quæ apte cohæreat, non facile reperietur. Sunt enim qui ex prophetico spiritu, longe præuisum in posterum, & regem Dauidem ad IESVM Dominum faciant loquentem, cui soli peccatum est, quia solus ille sine peccato,

cato,

cato, iustificatus autem in sermonibus suis, uel quia do-
lus ac mendacium non est in eo inuentum, uel quia ue-
nerat uocare peccatores, idemq; iudicatus & damna-
tus, morte sua mortem & mundum uicit. Pia hæc &
uera sententia, sed neq; tota inter se cohærens, nec
loci huius. Quomodo enim cum his coniunctū est pec-
catū Dauidis & dictio illa, VT, quomodo quasi caus-
sam significat, cur iustificatus sit & uicerit iudicatus?
Alij propius ad uerba sensum accōmodantes, inquiūt
iustificatum fuisse Deum in sermonibus suis, quando
seruauit Dauidi quod fuerat pollicitus, licet homines
arbitrarētur, propter scelus cōmissum mutatam esse
Dei uoluntatem, quod quasi iudicium de Deo fieri uē-
debat. Sed in hac quoq; sententia scrupulus idem
est, an iccirco Dauid peccauit, ut iustificaretur Deus?
quem scrupulum nonnulli effugere uolentes, dixerunt
subintelligi oportere, peccauit, ignosce mihi, ut iusti-
ficeris. At & de ignoscendo iam sæpius rogatus fue-
rat Deus, & nō fuit Dauidi difficile, id planius ipsum
hoc quoq; explicare in loco, ut ignosceret quo iustifi-
cicaretur. Alij magis in uniuersum accipiunt peccasse
Dauidem, & ad pœnitentiā peccati conuersum fuisse,
ut iustificaretur sermo Dei dicentis, nolo mortem pec-
catoris, sed potius, ut conuertatur, & quacunq; ho-
ra ingemuerit peccator, non recordabor amplius eius

omnium iniquitatum. Vera ista sunt, sed ubi est iudicium? aut quis unquam exprobrauit Deo non esse apud eum peccatori ueniam? Græci alio modo ut iustificeris, inquiunt, in sermonibus tuis, & uincas cum iudicaris. Positis enim in contentionem, & quæ tu erga me benigne fecisti Deus, & quæ ego impie atq; ingrate aduersum te egi, in comparatione & uelut iudicio hoc elucet magis & splendet iustitia & benignitas tua, ut iudicium accipiatur cum perpenditur quantum quasi intersit inter bonitatem Dei, & hominis prauitatem. Hoc ut laboriosius astruant, negant, VT, hoc loco esse iudicium causæ. Nō enim ut iustificetur Deus à Dauide peccatū est, sed quia peccauit Dauid, iustificatus est Deus. Nos hunc locum ex ipso historiae textu & uerbis sacri codicis proprijs intendimus interpretari, illud primo asseuerantes, in his uerbis maximæ humilitatis et uerissimæ pœnitentiæ ac incomparabilis amoris erga summū Deum, certissima signa atq; indicia Dauidem dedisse, cuius pietatis merito cōtinuo ad ueteris gratiæ fructum, & futurorum præuidentiam cœperit uocari. Tibi soli peccaui & malum coram te feci. Vera & indubitata expositio est, solum fuisse Deum consciū Dauidici criminis. Primum quia ipse solus maxime cordium inspector est, & quibus uis & ratio, & tanquam substantia effluit peccati.

cati. Quod Dominus in Euangelio, ex corde ueniūt,
inquit, cogitationes malæ &c. Ut penè dicere uero
possimus, omnium criminū Deum unū esse uere con-
scium. Deinde peccatum certe Dauidis occultum ho-
minibus fuit, ac adulterium quidem Bersabee, pauci
fortassis Dauidis fideles, suspicari magis q̄ cernere po-
tuerunt, quorum ipse ministerio necessario fuit usus.
Cædem autem Vriæ, quis nouerat à Dauidē profectā?
populus non, bellici enim casus, culpam hanc sustine-
bant. Duces ad quos fuerat scriptum, imperium qui-
dem regis executi fuerāt, sed suspicati sunt iusta aliqua
de caussa, regis iram fuisse concitatam, in summa or-
do & series & peccati ratio, obscura omnibus fuit,
præterq̄ soli Deo. Ab hac sententia alieni qui sunt,
sancti & graues uiri, audiant quid per Prophetā suum
Dominus Dauidi minitando nuntiet. Dabo, inquit,
uxores tuas proximo tuo, & dormiet cum eis in ocu-
lis solis huius. Tu enim fecisti in abscondito, ego autē
faciam uerbum illud in conspectu omnis Israel. Mani-
festa igitur à Deo pœna occulto crimini Dauidis per
Prophetam est nuntiata. Hoc nunc peccatum profi-
tetur & inuulgat ipsemet Dauid. Tibi soli peccaui
& malum coram te feci. Quod hic coram, paulo su-
pra, contra, & peccatum meum contra me est sem-
per, Græce enim utrobiq; est, ἐνώπιον, cui par la

tinum est aduersum, & est tamen amborum affinis
significatio. Hic autem & si recte coram, non nihil ta-
men etiam, contra, nullum enim peccatum non contra
Deum. Vt iustificeris in sermonibus tuis, & uincas
cum iudicaris. Videamus nunc de Deo iudicium, &
quomodo iustificatur Deus, in quo incredibilis quæ-
dam huius magni regis summissio, & in conspectu
Domini humilitas deprehenditur. Quoniam enim non
solum nota erat, sed etiam in populo celebris omni-
potentis Dei in Dauidem suum beneuolentia, quodque
eum de gregibus & pascuis ad regnum uocauerat, om-
nium illi præliorum uictoriam donauerat, finitimos
in ditionem subiunxerat, feceratque nomen eius altum
& gloriosum in omnes nationes, & quod multo ma-
ius hisce omnibus erat, spondederat ei perpetuitatem
generis, æternitatem principatus, gentiumque & na-
tionum hereditatem omnium. Quoniam inquam
hæc cuncta nota erant, & diuulgata, atque exitu ipso
rerum bona ex parte comprobata. Iccirco successuris
paulopost contrarijs admodum signis & euentibus,
quæ & filij aduersus Dauidem conuaturi erant, &
eius uxoribus uis afferenda, populi ab officio & fide
descituri, ipse extorris & profugus laribus suis, &
urbe dilecta Hierusalem cariturus, omnia denique illi
quæ comminatus fuerat Deus, tanquam sectiones & cau-
teria

teria abolendo carcinomati peccati euentura, miraturæ proculdubio erant ignaræ gentes & emissuræ uocem eiusmodi. Quid ita suum Dauidem insequitur Deus? quæ hæc mutatio? quod consilium? num eum poenitet eorum quæ fecit illi, aut quæ pollicitus est? hæc populi admurmuratio quodammodo Deum uocatura in iudicium erat, cum inquirerent in eum mutationis consilium, & causam illum tanquam dicere cogere. An hoc nos non quotidie facimus? nonne ubi quid euenit nobis minus ex sententia, Deum ipsum quodammodo insistimus reum facere, tanquam iudicium illi & causæ dictionem intendentes? quid ita mihi hoc? cur ista nunc tempestas? unde hæc uis morbi? ueluti succensentes non esse Dei cōsilia, nostris stultis opinionibus accommodata, ignaui & dementes, ut si lutum contra figulum cogitet, & dicat opus factori suo non intelligis, trahimur inepte serui aduersus Dominum, mancipia contra regem, uermes ante summum Deum. Quod autem in admurmurationem & inquisitionem huiusmodi aduersus Deum uenturus erat populus, audiamus ipsum met Dominum loquentem Solomoni, posteaquæ ædificatum & sanctificatum esset templum, renouatis enim erga illum promissionibus quas Patri ipsius Dauidi fecerat, siquidē paterna esset iustitiæ & ueræ pietatis ac diuini cultus uestigia per-

secutus, mox si diuertisset à recta semita, atq; ad alie-
nos Deos colendos se contulisset, cum alia multa &
aspera, tum amissionem regni, generi eius, ac tem-
pli illius ipsius desolationem minitatus est. Domus in-
quiens hæc erit in exemplum. Omnis qui transierit
per eam stupebit & sibilabit, & dicet quare fecit sic
Dominus terræ & Domui huic? ecce iudiciū in quod
uocatur Deus, cum ex eo ratio facti quaeritur, & re-
spondebunt quia dereliquerunt Dominum Deum su-
um, cuius tot habent beneficia & secuti sunt Deos
alienos. Ecce iustificatio, ut iam in eiusmodi iudicio
Deus uictor factus sit, simile ergo in se euerturum Da-
uid uidebat, ut in disquisitione uocaretur Deus. Qua
propter qui & uerus amicus Dei, & seruus fidelis
erat, quiq; Deum, & Dominum suum, Deiq; hono-
rem & nomen, sibi honoriq; suo & nomini antepone-
bat, ut iustificaretur in sermonibus, & in iudicio uin-
ceret Deus. Tibi soli peccaui, inquit, & malum co-
ram te feci. Quid autem? num ut Deus iustificaretur,
peccauit Dauid? nequaquam. Sed ut iustificetur, &
uincat Deus peccatum suum aperte profitetur. Qua-
si ita dicat, peccaui equidem tibi soli, & malum co-
ram te feci, sed hoc ipsum testor palam & confiteor
peccasse me, ut omnes intelligant iustum supplicium
mihi abs te illatum fore, ut tui sermones quibus mihi
tot

tot ærumnæ & calamitates nuntiatae sunt, iustificen-
tur, causam enim illis, non tua mutatio, sed scelera
mea tribuerunt, & uincas cum iudicaris, uel ut ex
Hebræo est, iudicaberis, ut cum inquiretur in te,
quid me tam acerbe insequare, pateat omnibus non
hoc repente abs te factum. Sed mihi aliquanto ante
denūciatum, denunciatum autem ideo, quoniam gra-
uissime aduersum te per me esset peccatum, pateat
inquam omnibus, me iniquum esse, ut tu cognoscaris
iustus, me multo asperiora meritum, ut tu intelligare
non acerbus, tanta piūm hunc regem Dei honoris
cura & sollicitudo detinebat, ut uellet efferrī ac pub-
licari suam ignominiam iniquitatemq; , quo magis
ac magis splēderet Dei iustitia & misericordia. Quid
huic addi humilitati potest, quid cum hoc amore er-
ga Deum comparari? num supplicium suum recusa-
uit? num pœnam deprecatus est? num quo iram Dei
ostenderet iniustiore, peccatū suum leuius fecit? im-
mo contra, in medio ipso metu & horrore imminen-
tium acerbissimum de Domini sui eius ipsius, à quo tam
grauiter plectebatur honore & fama sollicitus est, ne
quid ei per populū stultum & imperitū detrahatur.
O commemorandā omnibus sæculis, uere amātis Deū
pietatem humilitatemq;, q̄ illa eximia in tanto rege
fuit, quæ uix in quoq; etiā infimo homine quandoq; est

mediocris . Hoc nimirum est diligere Dominum Deū suum ex toto corde suo, & ex tota anima, & ex omnibus uisceribus suis, hoc illius gloriæ cū cætera omnia, tum semetipsum posthabere . Hac subiectione animi & in ipsum Deum omnipotentē amore, nulla est tanta iniquitas peccati, nulla sceleris enormitas, quæ non continuo aboleatur . Hæc illa est humilitas quæ in cœlum usq; firmissimis radicibus innititur, quæ Deo coniungitur, quæ in excelsis honoratur, cuius mercedē Dauid e uestigio uberem est consecutus, interposita enim excusatione necessaria, ad occulta diuinæ sapientiæ contemplanda, & ad fruendum gaudiū pristinæ erga se gratiæ Dei statim sublatus est .

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea .

Non matrimoniū accusat, nec coniugalem matris suæ torū, legitima enim ista sunt, & sanctissimis ceremonijs consecrata, sed primordia peccati arguit, & primos inceptus delinquēdi, qui ab Eua prodi sunt . Proptereaq; matris potius facit mētionē . Maior enim coniunctio matri cū filijs est, gignit enim in semetipsa eos, deriuatq; magis in illos sanguinis & carnis peccatum . Quamquā & Adam uxoris suasu in idē erratū incidit,

incidit, ab illis certe generis nostri parentibus, uniuers
so generi humano, patefacta ad delinquendum uia est,
eaq; deinceps usu commeantium frequentissimo trita,
radixq; & procliuitas peccandi, in perpetua posterita
te propagata. Nisi enim illi sic deliquissent, non extitisset
uatijs, morbisq; animorum obnoxium genus hominum.
Hoc aut subiunxit ad superiora Dauid, ut quoniam
quod proprium & suum scelus fuerat, humilitate &
poenitentia aboleuerat, sibi aspiranti ad pristinam Dei
gratiam ostendat obstare non debere, q; ex eo genere
sit, quod labile ad peccandum & ad delinquendum est
procliue, cuius procliuitatis a primis parentibus pro
ditae non propria cuiusq; sit, sed generis culpa comu
nis, sic ergo quasi argumentatur. Ecce ego quidem cum
hac naturae imbecillitate conceptus sum, & generatus
ab ijs qui eadem infirmitatis debilitate laborauerunt,
ut in decliui semper ad delinquendum pendeamus.
Quod tu Deus cum optime nosset, communicasti mihi
lominus mihi arcana consiliorum tuorum, & tuae cce
lestis beneficentiae fontes aperuisti, ex quibus in omnem
posteritatem meam, aeternae tuae liberalitatis gratia esset
dimanatura. Hoc tu, qui uerax unice es, cuius uerba
non praeterfluunt, quando iam mihi pollicitus es, si pec
catum meum proprium, partim tua magna misericordia
remisisti, partim iustis supplicijs es expiaturus, ne te,

quæso auertat & abducat à promissionibus tuis, hæc
nostræ infirmitatis culpa communis, sed te in illis po-
tius ueritas tua confirmet.

**Ecce enim ueritatem dilexisti,
incerta & occulta sapientiæ tuæ ma-
nifestasti mihi.**

Iam fruitur gratia, iam alto illo Prophetiæ Spiritu
in abyſſo diuinorum consiliorum lætus immergitur,
peccati tātisper & doloris oblitus. Nam quo ista per-
tinent rogo, nisi ad ea quæ tot sæculis postea secuta
sunt? & in Christo IESV terminata? quæ enim est
sapientia patris, nisi uerbum, quod consiliū Dei est,
idemq; filius per quem omnia facta sunt. Quid porro
occultius, magisue obscurum? nam illud, incerta, ob-
scura melius, ut in Græco est, ἀδύλα, & si uerbo
uerbum uolumus, immanifesta. Quid inquam occul-
tius, obscurius, immanifestius, quàm id quod ne po-
stea quidem, q̄ esset factum, ulla humana mens potuit
penetrare? cum enim uertex Apostolorum Petrus re-
spondit IESV, tu es Christus filius Dei uiui, meruit
audire à Domino. Beatus es Simon Bar iona quia ca-
ro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui
in coelis est. Si ergo iam facta atq; præsentia, reuela-
trone Dei patris indigebant ut cognoscerentur, quan-
to ma

to magis immanifesta sunt, etiam nunc futura? & hæc tamen Dauidi patefacta fuerant, nam & propter honorem, quem uni Deo inuiolatum perpetuo habuit, nec eius cultui ob alienos & mortuos Deos unquam præuaricatus est, dignus est habitus quem in primis diligeret & confoueret Deus, & quia ad eum maxime pertinebat, quod ex eius semine hic cœlestis omnipotentiæ Dei partus, redimendo ab interitu mortis, ac peccati, humano generi in lucem hanc nostram producendus erat, merito diuinorum arcanorum factus est particeps. Hæc Dei arcana & consilia antea intelligens, & Prophetæ Spiritu ad futurorum præscientiâ illuminatus, mox ab illa arce foelicitatis & beatitudinis, suæ peccati uiolentia deturbatus fuerat, in quo casu præcipiti et periculoso, offensionem summi Dei, tanquam saxo impactus, uelut mente demotus, in obliuione & cæcitate aliquandiu commoratus est, at ubi resipiscere cœpit, & damnum suum recognoscere, tot repente circumuallatus angustijs, horrore sceleris, poenitentia peccati, dolore amissæ Dei gratiæ, expectatione poenarum, quæ acres illi & asperæ denuntiatae fuerant, ad certissima subsidia confugit, humilitatis in se, ueritatis in summo Deo, cuius utriusque adminiculo iam restitutus in gratiam & ad priorem participationem sapientiæ Dei reuocatus, quanta nunc sua uoluptate,

quo fructu iucunditatis in illa excelsa præscientiæ spe-
cula, unde uentura tam longe contempletur insistere
existimandus est? perseuerat igitur, quid ad eum uen-
turum sit, ex his quæ præclara & mirabilia tanto an-
te cernebat, commemorando & postulando à Deo
repetens.

**Asperges me Domine hyssopo
& mundabor, lauabis me, & super
niuem dealbabor.**

Hoc haud dubie ad baptismum spectat, nam quod
aliud est lauacrum, quod purificet & abluat & can-
didius niue faciat nisi baptismus? hac se baptismi un-
da uult Dauid lauari, & huius gratiæ fonte optat pu-
rificari, ut illud ipsum, quod pauloante deplorauerat,
de fragilitate humani generis, & protopatrum pec-
cato, eluatur in se, quo niue purior & splendidior fa-
ctus, in Dei amore stabilius roboretur, complectitur
tamen utriusq; legis & ueteris & nouæ mysteria, ac
præsentibus futura coniungit, quod peculiare est Pro-
phetiæ donum. In ueteri enim lege, aliquæ per hyso-
pum aspersiones fiebant, ad quas mystice sanè adhi-
bebatur hyssopus, cuius quoniam propria naturæ uis
est, cutem æquabilem & bene coloratam continere,
ut tumoribus & impetiginosis ægritudinibus minus
obnoxia

obnoxia sit, transfertur ad æquitatem animi intus & ad uirtutis constantiam ista significatio. Itaq; & leprosis præcipue aspersio ex hyssopo adhibebatur. Per baptismum autem infunditur perfectæ gratiæ & munditiæ nitor. Ita Dauid præsentia quidem & patria non contemnit, sed multo etiam uehementius expetit futura, quorum quidem differentia, ex ipsis optantis uerbis satis apte indicata est. Quantum enim interest inter aspergere & lauare, inter mundare & candidius niue facere, tantum inter ueteres expiationes, & nouum hoc interest baptismi sacramentum. Hanc tam efficacis sacramenti uim, & præuidebat Dauid, & sperando, cupiendoq; ad eam festinabat, optabatq; denuo audire ex Deo, quæ sibi & generi suo gloriosa & mirabilia iam pridem audierat euentura.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiā, & exultabunt ossa humiliata.

Nihil certe iucundius auditu, nihil lætabilius cognitu, auribus suis poterat percipere Dauid, q̄ si audiret Dominum iterantem promissiones, quas antea fecerat, quando per eundem Nathan Dauidi sic locutus est. Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum eius, ipse ædi-

ficabit domum nomini meo, & stabiliam thronum
regni eius, usq; in sempiternum } Ego ero ei in patrē,
& ipse erit mihi in filium. Et paulopost. Et fidelis
erit Domus tua & regnū tuum usq; in æternum, an
te faciem meam, dicant quæso hunc Domini sermonē,
hanc prædictionem mirabilium tantorum, in quo ue
lint ratam factam, & euentu ipso comprobata, per
fectamq; fuisse, qui Christianæ ueritati detrahere co
nantur, qui non idem sentientes quod Petrus, Chri
stum IESVM Dei filium inficiantur esse? nam quo
in alio regni æternitas? in quo fidelis perpetuatio ue
ræ gloriæ Dei, de quo dedit testimonium pater? aut
quis se patris filium esse alius testatus est, cui dedit alij
in hæreditatē Dominus gentes & regna? nam domus
& ædificatio & templum & thronus, figurā quidem
corporis in ueteri lege habuerunt, sed re uera in spiri
tu intelligēda sunt. Quomodo enim alioquin possunt
esse æterna, uel quomodo potius fuerunt, nonne quæ
corporis extitere, prostrata, consumpta, ad nihilum
reducta sunt, Spiritus autem permanet in æternum?
At etiam dum uenturus est, in quo tam magnæ con
quiescant promissiones. Sic enim occurritur ab his,
quibus ingenitum est pertinaciam amplecti libentius,
q̄ ueritatem. Cur ergo iam in ipso IESV Christo
complete sunt, cuius nomen & fidem orbis prope
modum

modum terræ uniuersus, eo animorum & uoluntatū
instinctu, atq; adeo impetu secutus fuit, ut liquido
appareret, diuinum illud esse quod operabatur, non
humanum. Cur hic qui uenturus est, tam graue præ
iudicium authoritati suæ, & tanto ante inferri passus
est? Patriarchæ porro sui Iacob prophetiam quomodo
tuebuntur, qui in ipsa morte filiorum euenta prospiciens,
ut uenit ad Iudam. Non auferetur, inquit, re
gnum de foemore Iuda, donec ueniat, qui mittendus
est. Atqui regnum quidem ab Iuda ablatum iam diu
est, nec dum apparuit si quis expectandus est, his qui
dem impijs & peruicacibus, & fide menteq; orbatis.
Nam nobis iam dudum apparuit, attulitq; secum &
Dei patris promissa omnia, & salutē humano generi
ac liberationem. Hæc diu ante Spiritu Dei edoctus Da
uid prædixerat, beatamq; illam spem inenarrabili
cum gaudio intus in animo continens, easdem pollici
tationes iterari sibi nunc cupit, spem suam renouari,
gaudium confirmari, promissiones illas gloriosas &
admirabiles petit instaurari. Auditui meo dabis gau
dium & letitiam inquit, & exultabunt ossa humi
liata. Humiliata hoc loco Græce τεταπεινωμένα,
non humilitatem illam infert, quam nos inter uirtutes
insignem ponimus, sed humiliata potius, ad infimum
redacta, itaq; ex Hebræo est, ossa quæ confregisti,

Et ossa quidem haud dubie metaphoricum est hoc lo-
co. Siue autem per ossa firmitatem pristinam fidei
et amoris, quem habuit erga Deum intelligat, quam
tamen confregerat, et abiecerat peccatum, siue
quod in nobis maxime affine terrae est, et propterea
ad delinquendum paratius uelit indicari, tanta erit
uis diuinæ huius gratiæ, quam audiendo et experien-
do hauriet, ut non solum spiritum et animam, quæ
coelestibus coniunctiora sunt, uerum etiam terrestria
maxime et in ipsam humum prona, cuiusmodi ossa
sunt, ad gaudium et claritatem possit excitare. Atque
ut est Spiritus sanctus, cuius ipse Dauid largo haustu
factus erat particeps, in omnia statim et usque ad ex-
tremum permeans. His etiam uerbis, corporum no-
strorum resurrectio denotatur, quæ unâ cum anima
bus in altero Christi aduentu, in ratam partem resur-
gent, uel gloriæ, uel pœnæ, haurient tunc gaudium
et letitiam, qui audito tubæ illius, ad ultimum iudi-
cium cientis sono, tuti ac fidentes conscientie suæ,
quam fide atque abstinentia, quoad fuerit datum, à no-
xiorum labe uitiorum immunem custodierint, aut
per repudiationem peccati, fructumque pœnitentiæ mun-
dauerint, resurgent alacres, et ante conspectum iu-
dicis festinabunt se offerre.

Auerte faciem tuam a peccatis
meis, & omnes iniquitates meas
dele.

Mordet eū rursus peccati recordatio, quippe q̄ nō
dum per supplicia debita fuerat expiatum, & illud
quoq; extimescit, bene iam cognita, & magno malo
perspecta fragilitate sua, ne rursus ei peccādi, et cōtra
Dominum delinquendi adnascatur occasio, quod qui
dem post curricula temporum etiam factū est. Restin
cto enim huius prioris criminis incēdio, in cuius pœ=
nam magnis periculis & detrimento affectus fuit, ac
penē regno & finibus extorris actus, recuperata mox
potestate et authoritate pristina, in elationē superbiæ
prouectus est, uoluit enim haberi censum uniuersi Is=
raelis, & capitū numerum ad se referri, ut magnitudi=
nem imperij sui, & uim potentie sibi ipsi gratulare=
tur, cui insolentia statim Dominus ultor affuit, im=
missaq; in populū pestilentia, septuaginta amplius ho=
minū millia, paucis diebus absumpta sunt, et in eo ip=
so, in quo peccādi inuenerat occasionē rex David pu=
nitus. Nidit enim & intellexit Domini esse orbē terra=
rum & qui habitant in eo, non aut regis. Qui ergo iā
& in graue erratū aduersus Deū incidere, & ne rur=
sus caderet pertimescebat, iterū ad orandum & obse=
c ij

crandū Deū conuertitur, alternis uersibus tum uti de
leat peccata sua omnia, tum ut spiritū in eo rectū &
sanctum innouet, atq; constituat, cuius munitus præ
sidio, perpetuam innocentiam possit retinere. Quam
cautionem & stabilitatem uirtutis, non à nobis ipsis
possumus, sed à Domino Deo debemus postulare. Is
est status noster, ea mortalitatis conditio, tantum hu
manæ fragilitatis periculū, ut nullo modo ualeamus,
nisi admirabilis uirtus Dei nobis astiterit, nostram flu
xam & labentem ad delinquendum naturam, iustitiæ
& temperantiæ uinculis coercere, quin ubi in unā
partem obicibus bonæ uoluntatis coercita fuerit,
more aquæ fluentis in alteram erumpat. Auerte fa
ciem tuam à peccatis meis, nequaquam à me inquit,
sed à peccatis meis, si enim non auertat faciem à pec
catis Deus, sequitur illud alterum. Vultus autem Do
mini super facientes mala, ut perdat de terra memo
riam eorum. Et omnes iniquitates meas dele. Vetera
enim delere necesse est, ut restituantur noua.

**Cor mundum crea in me deus,
& spiritum rectum innoua in uisceribus meis.**

Et hæc quoq; omnia solus baptismus efficit, utrūq;
autem orat saluum & incolume à peccati labe conser
uari,

uari, & corpus & animū. Non enim eum latebat,
quæ futura esset in resurrectione nostra animæ &
corporis communio ad poenam eandem, uel gloriam.
Cor quippe corporis principium est, Spiritus uero
animi. Quorum utrunq; innouari in se uult, tan-
quam prioribus per contagionem peccati infectis &
contaminatis, ut uehementiore celestis sacramenti
ad innouanda ea opus sit, qui utiq; Baptismus est.
Illo enim hæc omnia uere reparantur in nobis, cor
mundum, Spiritus rectus, æternæ beatitudinis firma
spes, diuinitatis participatio. Siquidē per Baptismū,
filij Dei efficiemur, qui serui nati sumus.

**Ne proicias me a facie tua, &
spiritum sanctum tuum ne auferas
a me.**

Hic perspicuo apparet Spiritum sanctum Dauidi,
hoc est Spiritum prophetiæ, qui à Deo est, iam fuisse
restitutum, neq; expectatum finem orationis, quæ in
hoc Psalmo coram Deo effusa est. Non enim suppli-
citer Dominū precantibus illius benignitas ad annuen-
dum, indulgendumq; est cunctatior. Sed quem iam
recuperauit, eo rursus ut ne spoliatur, obsecrando
postulat. Et nimirum tota hæc comprecatio, nō tam
ad prioris peccati ueniam implorandam, q̄ ad muni-

mentum future stabilitatis omnipotenti Deo porrecta
est. Ne proicias me à facie tua. Proiecit eū à facie sua
Deus, cuius tutelā, custodiamq; dimittit, quod quidē
malorū extremū est. Cui enim id accidit, in eū irruit
statim malorū omniū turba. Proiecit à facie sua Deus,
non ipsum quidē Iob, sed substantiā & liberos illius,
non multū tempus est extrema perniciēs ac calamitas,
illorū interitum remorata. Proiecit post, urbem totam
Hierusalem, nam & ipsa filiū Dei à sese proiecerat.
Quid illi infelici, atq; ærūnosæ ciuitati, miseriæ et cala-
mitatis absuit, quod si adfuisset infortunatior ullam in
partē & calamitosior dici posset? Hoc nos quoq; in-
telligamus ipsi ad nos pertinere, cū malis multis urge-
mur inuiti, cū uel incōmoda ea sustinemus, quæ iniquo
animo ferimus, uel ad ea ipsa uia per lōge deteriora &
nocētiora cōmoda, luxum uidelicet & auaritiā, nobis
facimus, proijci nos à facie Dei, ut causas illas amoue-
amus per quas proiecti sumus, et discedamus à fœdere
peccati, ac salutare cū Deo fœdus ineamus. Et spiritū
sanctum tuū ne auferas à me. Iam enim semel eū à me
abstulisti, quod iure quidē factum mihi est. Vitio enim
meo, tanto bono fuerā priuatus. Nūc quando per gra-
tiam & clementiā tuam restitutus sum, ne quæso inci-
dam Domine in id rursus infelicitatis, ut & facie &
spiritu tuo, quibus ego uiuificor solis, merear spoliari.
Redde

Redde mihi lætitiã salutaris
tui, & spiritu principali confirma
me.

Et hic locus altiorem habet intelligentiam. Itaq; placitum sanctis uiris est, per salutare Dei intelligi Christum IESVM, à quo salus est omnis & omnibus Spiritu aut quoniam ter uidemus continentibus uersibus nominatum, annunciatam in eo & tanquã figuratam esse diuinam trinitatem, ita ut Spiritus re=ctus, filius sit, circumscripta tamen hominis persona, quoniam spiritus corpus non est, spiritus uero princìpalis, significetur pater. Nam spiritus sanctus suo uocabulo aperte est demonstratus. Hęc sententia, ut uera sit, sicuti quidem est, & his quoq; uerbis à spiritu sancto comprehensa, quoniam per eius infinitam uim intelligentem omnia, innumerabiles res eodem prolato uerborum & mentium conceptu, quæ ab eo ipso inspiratæ sint, comprehendì possunt. Nos tamẽ quæ planiora sunt & propinquiora, ad cõmunem intelligentiam, & adsciscimus libenter ipsi, & ceteris proponimus. Nam sicubi sensus ipse uerborũ recta uia ad futurorũ enarrationẽ nos deducit, insistimus in eo potissimum, ut paulo supra fecimus, de occultis sapientiæ Dei, de lauacro Baptismi, de resurrectione

corporum . Illic enim Prophetam restitutus ad Dei gratiam , & ad præuidentiam uenturarum rerum , procul omni dubitatione instinctu Spiritus sancti , ad extremum usq; percurrens , fit eius ipsius foelicitatis præsciendo & præuidendo particeps , ad quam deinde experiendo , posteri per Dei & Domini IESU Christi beneficentiam uocati fuere . Hoc autem loco commodius nobis uidetur contexere præsentia proxime præteritis , ut perseueret Dauid id petere , ac deprecari à Domino Deo , quod sibi ad fruendam ipsius gratiam maxime intelligit esse necessarium , stabilitatem uidelicet in recta uoluntate , & in operibus iustam actionem . Hoc ille alternis uersibus facit , nunc auersionem uultus Dei à peccatis suis , & iniquitatum suarum abolitionem , nunc innouationem recti & incontaminati Spiritus , ac firmitatem constantis in Deum uoluntatis expostulans . Sed uti planè cõstet & appareat , quotiens innouari & rectum dari spiriũ , imperiumq; rationis in se petit confirmari , totiens & denotare eũ , & appetere sacro sancti Baptismi uere celestem gratiam , per quam maxime omnipotenti Deo , depulsa labe peccati , quod ex origine primorum patrum traximus , in amicitiam atq; adeo in affinitatem iungimur . Redde mihi lætitiã salutaris tui . Hoc salutare , uere & proprie iustitia est , & eius maxime
illa

illa pars quæ directa est erga summum Deum, quæ eadem pietas & religio est, in hoc toto iustitiæ genere ita princeps, ut sit etiam sola. Qui enim tribuunt Deo quod suum est, nullam in se partem iniquitatis possunt accipere. In Psalmo item. CXXXI. cum alia multa postulans à Domino Dauid, tum hoc quoque deprecatur, Sacerdotes tui, inquiens, induantur iustitia & sancti tui exultent. At Dominus paulo post annuens postulatis, & concedit benigne cætera suo Dauidi, magnasque illas & diuinas confirmat promissiones, & de sacerdotibus ita respondet, Sacerdotes eius induam salutari & sancti eius exultatione exultabunt. Totidem uerbis quot supplicatum fuerat, suo omnipotenti nutu supplicata roborans, petita autem fuerat iustitia, datur salutare. Atqui hoc loco idem est salutare, & lætitia hæc illam refert exultationem. Nonagesimo quoque Psalmo & VII. Notum fecit Dominus salutare suum, in conspectu gentium reuelauit iustitiã suam, Et paulo infra. Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri. Quanquam in altero hoc Psalmo aperte et perspicue de Christo significatũ est. Quid autem? iam reconciliato in gratiam Dauidi, iam reuocato ad cœlestia Spiritus sancti dona, & in præscientiam futurorum restituto, nondum reddita fuerat huius salutaris lætitiæ? certe nondum, hæc enim

lætitia & hoc salutare, non ex uno, aut ex altero
pietatis opere percipitur, sed in continente & per=
petuato habitu pie semper agendi posita est. Quam
constantiam habitus in Dauide, quoniam grauis deli=
cti atrocitas perfregerat, iam experimento doctus, &
minus sibi ipsi fidens, perstat in eodem, ut firmitatē,
ac stabilitatem rectæ uoluntatis, ac sanctorū operum
ab ipso Deo contendat impetrare. Quo pacto etenim
poterat lætitiā possidere salutaris Dei, quam & per=
petrati sceleris dolor, ac bene iam in se notæ fragilita=
tis metus corrumpēbat? Reddi igitur sibi illam orat,
quā si obtineat, uniuersum genus iustitiæ planè est
possessurus, quando huic parti diuinæ, ac excellenti,
pars etiam iustitiæ humanæ famulatur. Dare enim ho=
norem Deo, uelle illius magnum & gloriosum no=
men, uereri ipsius potestatem, agnoscere omnipoten=
tiam, coram eo humilem & summissum se gerere,
tum eundē amare tantū, quantū semetipsum, & etiā
amplius. Vera hæc & summa iustitia est, uerū salu=
tare, quod intelligere, sola sapientia est, agere uir=
tus, nauare & perpetuare unica & æterna beatitas.
Huic sapientiæ & uirtuti, diuina illa & admirabilis,
quæ omnem sensum exuperat, omnemq; in compara=
tione sui offuscatur uoluptatem, lætitia agnata est. Qua
qui potiuntur, humanas iustitiæ leges quin cōseruent,
dubitan

dubitandum non est, nisi amouente quandoq; dexte-
ram suæ protectionis Deo, incursum subitæ & uehemē-
tis cupiditatis à mente, consilioq; deiciantur. Quod
interdum patitur diuina prouidentia, ut non in nobis
ipsis, sed in eo salutis spem reponamus, ut sit fidenti-
bus metus, laborantibus auxilium, fidelibus spes, lap-
sis reparatio, ut magnitudo misericordiæ suæ omni-
bus ostendatur. Itaq; nec Dauidem continuit ruentē
in graue scelus, nec Simonem Petrum immunem à pec-
cato & ab negatione filij Dei conseruauit. Nisi enim
peccarent aliquādo iusti & sancti uiri amici Dei, quis
esset de populo peccator, quin desperata uenia negli-
geret confugere ad misericordiam Dei, quam nullam
esse putaret? Et spiritu principali confirma me. Spi-
ritus principalis ratio est, cuius finis in intelligendo
ueritas, in agendo iustitia est, ut huius uirtutis nomi-
ne, reliquas quoq; uirtutes comprehensas intelliga-
mus. Statui porro in agendo quid bonum sit, nequit,
nisi in speculando cognoscatur quid uerum, ut aduer-
tant animum quantum possint actionibus suis confi-
dere qui uerum Deum ignorant. Habet autem ista ra-
tio imperium animi, eademq; ductrix & moderatrix
appetitionum omnium est, & hoc natura. Ut uero
etiam usu, moreq; imperet, nec contumaciā sentiat,
nec seditionem aduersantiū sibi in animo cupiditatū.

Hoc iam omnium humanorum operū longe maximū
& difficillimum est, quod nauare soli possunt, qui=
bus à Domino Deo data gratia, & uis multo maior
quàm imbecillitatis nostræ possit esse, tributa est.

**Docebo iniquos uias tuas, & im=
pii ad te conuertentur.**

Recte & ordine firmari se in habitu uirtutis & iu=
stitiæ prius petijt, ut deinde possint alij per ipsum uias
Dei edoceri, aliter enim docentis authoritas nulla est,
si quos retrahere à uitijs exoptat, eorū ipse æque est
uitiosus. Itaq; Dominus, qui sic fecerit, inquit, & do=
cuerit homines, is erit maximus in regno Dei. Beati
ergo qui fecerunt prius ipsi, deinde alios docuerunt.
Quod nos, qui assequi minus possumus, qui uacilla=
mus ancipites, & imbecilli inter bonā quādoq; uolun=
tatem & prauam consuetudinem, saltem secunda li=
nea id agamus, ut edoceamur, atq; ita uti intelligamus
uiarum Domini multiplicem doctrinam esse, per quā
iniqui corrigantur, & conuertantur impij. Aut enim
cōtinuantibus peccata, proponitur metus pœnæ, &
acris denunciatio seueri iudicij Dei, quod crebris in
locis scripturæ sacræ, uehementer expressum est, aut
si uoluerint, qui in uiam se dederint peccatorū, omisso
exitiabili usu delinquendi redire ad pœnitentiam, &
ad cle

ad clementiam Dei confugere, paratum illis ostenditur Dei misericordiae gremium, quo ille ueterum offensionum penitus immemor, humane & gratanter excipit se recipientes, neminemque benignitatis suae uacuum atque expertem patitur discedere. Hoc utrumque David ex semetipso docere & demonstrare poterat, cuius peccati facinus non impunitum, poenitentia ad misericordiam non solum Dei, sed ad pristinam etiam gratiam fuerat admissa. Tertia autem uia Domini longe praestantior, sed usu & celebritate rara, & commentantium itineribus infrequens, in qua ipse David per diu institerat, ut eius illam demonstrantis habitura esset auctoritatem oratio. Diligentibus enim Dominum Deum, & ad illius honorem ac laudem omnia referentibus, quam ampla praemiorum merces, quis fructus beatæ uitæ propositus & paratus sit, ipse prope modum unus ad id temporis poterat edocere. Qui uero animus nec suppliciorum metu frangitur, & misericordiae ac ueniae spe oblata non flectitur, tantorum quoque praemiorum atque honorum, quæ pie Deum colentibus promissa sunt, desiderio non uincitur, is planè ex eo impiorum numero est, de quibus est scriptum. Non sic impij, non sic, sed tanquam puluis quem proijcit uentus à facie terræ, qui non resurgunt in iudicio, neque apparent in iustorum concilio.

**Libera me de sanguinibus deus
deus salutis meæ et exultabit lingua
mea iustitiam tuam .**

Sunt qui referant ad Vriæ cædem & aliorum , qui occasione illa interempti fuerunt , quod nunc precatur David , ut de sanguinibus liberetur . Et hoc confirmât esse peccatum , quod is dixit contra se esse semper . Alij de domesticis cædibus uolunt intelligi , quas denunciarat Dominus per Nathan dicens , non recedet gladius de domo tua in æternum , sed neq; de primo sanguine liberari iam poterat . Patratum enim facinus illud erat , & quantum ad ignoscentiam & ueniam , à Domino fuerat iam de eo liberatus . De uenturis uero cædibus , nullū in tota oratione hac , deprecandæ pœnæ causa , uerbum cernitur emisisse . Nam cum decretum Dei omnipotentis iustum & debitum præsertim immutabile esse intelligebat , tum de integratione & gratia apud Deum laborabat sua , quam modo assequeretur , nihil sibi acerbū , aut triste ducebat . Quare ea potius adsciscenda sententia est , ut petat liberari de sanguinibus , hoc est , de uitijs fragilitatis nostræ , quorum origo & causa , caro , sanguisq; sunt . Nam neq; caro & sanguis sapere quicquam possunt sublimē ac supernum , suntq; in terram semper prona , &
Apostoli

Apostoli quoq; testimonio, caro & sanguis regnum
Dei nō possidebunt, dum erunt morti & corruptioni
scilicet obnoxia. Nam postea cum induerint ex mor-
talitate immortalitatem, & ex corruptione incorru-
ptionem, possidebunt regnum Dei utiq; unā cum
spiritu & anima, si ad tantam & tam nobilem uoca-
tionem fuerint electa. Quo quidem euentu, erit laus
Dei in ore ipsorum in secula seculorum, amen. Hæc
cum prævideret Dauid, & se comitem electorum iam
faceret, totusq; exultaret in spe illa & cogitatione,
quod ferè reliquum est Psalmi, ita profert & tempe-
rat, ut quæ sibi in rem esse putat, præsentia postulet
nunc quidem, uerum illa tamen non separet à futuris.
Itaq; liberari se de sanguinibus postulat, hoc est, mol-
liciam & facilitatem ad peccandum, quo caro pronā
est, quo sanguis effluit, uinculo diuinæ opis & gra-
tiæ frenari, ac coherceri, & si hoc fuerit factū, tunc
non solum misericordiam Dei est laudaturus, sed iusti-
tiam etiam exultaturus, hoc est, cum letitia & gra-
tulatione celebraturus. Nam adhuc quidem nequaquā
implorauit iustitiam summi Dei, sed clementiam. Ut
autem habeat suam laudem clementia, gaudium &
exultationem certe non habet. Neq; enim letando,
exultandoq; sed lachrymis fundendis & gemitibus
emittendis, quos peccati dolor expresserit, Dei cle-

mentia & ignoscentia fit impetrabilis . At si frenatis
& compressis Dei munere cupiditatibus , quæ ex car
ne & sanguine referuescunt , placatus & tranquillus
in posterum , ac perturbationibus liber , præcepta Dei
custodierit , fructu suæ pietatis percipiendo , laxabit
linguam suam in exultationem laudis iustitiæ Dei , cu
ius sibi dona iure tunc aderunt , tanquam immaculato ,
& innocenti . Et quidem omnium diuinorum mune
rum hoc esset maximum , si liberaret nos de sangui
nibus Deus & à peccati periculo redderet securos ,
quam postulati magnitudinem , ut declararet , ingemi
navit appellationem Dei , & salutem suam in hoc po
tissimum consistere significavit . Deus , Deus salutis
meæ inquiens . Cur enim non bis appellaret Deū tan
ta de caussa , quem eadem ratione ter rogavit Paulus ,
nam & ille de sanguinibus ut liberaretur Dominum
precabatur , quando legem in se carnis sentiebat , re
pugnantem legi optimæ institutæ mentis . Sed & quod
petit David nūc in corruptione , prævidet sibi mox da
tum iri in incorruptione , cum à supremo iudicio Dei
ad immortalitatem & gloriam sine cōtaminatione am
plius peccati , ipse quoq; consurrexerit .

**Domine labia mea aperies, & os
meū annuntiabit laudem tuam .**

In illa

In illa etenim surrectione suprema, cum corporibus etiam immortales erimus facti, & Dominus labia ipsius aperiet, & os eius annuntiabit laudem Dei, cuius & exultabit lingua iustitiam, proprium enim hoc, & maxime peculiare erit illorum, qui resurgent in gloriam. De eis enim scriptum est. Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te, proprie quoque illorum labia aperiet Deus. Nam hic quidem dum sumus, & corruptibilem vitam uiuentes seculi huius tempestatibus agitamus, affectionibus propè infinitis animorum, tanquam fluctibus, uētisque obnoxij, aut clausa tenemus labia nostra, ad annuntiandum laudem Dei, quippe obligante linguam peccato, opprimente uocem, obturante os, aut si aperiuntur ea aliquādo, ad proferendum nomen Dei, non tamen illa aperit Deus, sed uel spes aliqua nostra, uel desiderium, uel dolor, uel metus. Cum autem opem Dei, aut clementiam, aut in periculo praesens auxilium, aut in optatis assequendis benignitatem imploramus, ita aperiuntur quidem nonnunquam ad Deum labia nostra, sed non ea aperit Deus. Quando ergo illa aperientur à Deo? tunc, cum de sanguinibus liberati, & fluore carnis ac labilitate cōpressa, immortales restituti, nihil habebimus propositum de syderijs nostris praeter solum Deum, cum ille unus

amor erit nobis, unus letitia, unus beatitudo. Cum
in illum unum uota, optata, cogitata nostra, & re-
ferentur omnia, & in eo ipso consumentur. Neq; erit
tum quicquam, quod oculos nostros in partem aliam
diuertat, aures auocet, palatum alliciat, nares inui-
tet, transmoueat tactum, mentem & intelligentiam
impleat, nisi solius gloria & pulchritudo & infinita
maiestas summi Dei. Quæ quidem nobis ita ingeret
se large atq; abundanter, ut non modo omnis angu-
los, tum omnisq; inanitates sanctæ illius & beatæ
tuncq; maxime hiantis cupiditatis nostræ expleat ac
refarciat, sed ultro etiam addat uires & robur ad cu-
piendum, capacioresq; efficiat, quo satiari affatim
diuinæ illius uoluptatis æterna & inenarrabili letitia
possimus. Nostra igitur tunc uere ora aperiet Deus,
cum & ab eo aperientur, & in eo, & ad eum, cum
ille unus erit nobis omnia, & cuncta extra eum nihil,
soloq; eo beati & contenti erimus, quod utinam do-
no illius assequamur. Ac sua faxit ipse bonitate, ut ad
tanti boni participationem, electi ab eo & prædesti-
nati simus. Qui quanquã indigne desyderamus istud,
quanq; peccatis sæpe auertimur, & ab eo quasi defi-
cimus, multitudine quoq; delictorum, & tanquam
mole cooperti, oppressiq; sumus, credidimus illi tamẽ,
spemq; salutis nostræ unicam, in ipsius benignitate &
clemen

clementia reposuimus. ¹ Aperiat quæsumus nunc Dei
ipsius dono ora nostra, dignus pro nostris sceleribus
dolor, ut imploremus eius misericordiam, quo postea
in gratiam recepti, & in regni cœlestis societatem ad
sciti, apertis ab eo labijs nostris possimus prædicare
& annuntiare illius laudē. Hoc iam tum David adesse
sibi cupiebat, iam tum spiritus sancti edoctus præui-
dentia, christiana mysteria intelligebat, atq; in eis
spe certa & expectatione insistens, præ illis repudia-
bat iam & parui faciebat iudaica, satis gnarus in illis
umbram esse, in nostris ueritatem.

**Quoniã si uoluisses sacrificium
dedissem, utiq; holocaustis non de-
lectaberis.**

Petita à Deo liberatione de sanguinibus, quam so-
lus & quidem in hac uita uix cuiq; in futura uero ijs
quos sibi ipse delegerit, daturus est Deus, postq; re-
promisit David, in tanti beneficij gratiam, se exultatu-
rum iustitiam Dei, & ipso aperiente labia sua, lau-
dem eius annuntiaturum, subiungit daturum etiam
se quidem id, quod in eo erat, sacrificium & uictimas
fuisse. Sed quoniam huiusmodi sacra & hostias asper-
netur Deus, dare sese illi & dicare uerum & iustum
sacrificium, quod est spiritus humiliatus, & cor cor-

d ij

tritum, quod unum sacrificium grate & libenter ab omnibus accipiat Deus, in quibus quidem uerbis ita perspicue, ut hesitationi locus non relinquatur, utriusque legis, & ueteris & nouæ ceremoniæ, ac mysteria comprehensa sunt, ac repudiata quidem iudaica, christiana uero & significata, etiam adscita. Nam in illis multum sacrificijs & holocaustis populus insudabat Hebræorum, magnoque apparatu & studio, eiusmodi sacra cruenta planè, plenaque turbæ & tumultus procurabat, magis illa opes offerentium indicantia, quam opem Dei promerentia. Quæ quanquam præcepta fuerant ab ipso Deo, & per eius seruos instituta Moysi, & Aaron, tamen tanquam cortex erant eorum, quæ illis inuolucris contecta, spiritu & ueritate melius continebantur. Populum autem illum durum atque tardum, ita tractabat & erudiebat Deus, ut si minus occultorum mysteriorum, multorum atque magnorum existeret capax, teneretur tantisper nihilominus in cultu & ueneratione unius Dei, ut ne ad fictos & ementitos elaberetur deos. Ad quod quidem transfugium mobilitate quadam animorum pronus erat. Neque desisteat tamen, quandoque per ora prophetantium denuntiare palam, & significare id quod requirebat. Unde enim illud. Misericordiam uolo non sacrificium. Et in proximo. 48. Psalmo. Non accipiam de domo tua

tua uitulos, neq; de gregibus tuis hircos, & nun-
quid ego manducabo carnes taurorum? ac paulopost
aperiens quid uelit. Immola Deo sacrificium laudis,
inquit, & redde altissimo uota tua. Quæ nam uota?
iuste, caste, integre; uiuendi. Atqui tale nos sa-
crum, talia uota offerimus, & habemus quidem ipsi
quoq; hostias, uerum coelestes, quæ ab ipsa iustitia &
castitate disiunctæ dari non possunt. Non enim Tau-
rum aut Hircum, sed filium patri in altari offerimus,
Deum Deo, omnipotentem omnipotenti, qui cū pa-
tre & spiritusancto non duo, uel tres, sed unus est De-
us, atq; is, quoniam ex hominis persona caput nostrū
est, nosq; ipsius membra coalita cum eo & coheren-
tia, nisi peccatis reglutinati diuellamur, in oblatione
capitis nostri, nos quoq; ipsos Deo omnipotenti offe-
rimus, idq; in Spiritu sancto, in puritate & constan-
tia fidei, in ardore charitatis, in spe futuræ beatæ im-
mortalitatis. Hoc inducto uero & aduecto sacrificio,
ac ueluti nucleo legis relecto, cortex abiectus est, um-
bræq; & simulacra ueritati concessere. Hæ igitur in
lege ueteri apud uulgus occulta, prudentibus tantū
uiris & sanctis Patriarchis illis ac Prophetis reuela-
bantur, ex quibus præcipui istam apud Dominum
gratiam tenuere Abraham & Dauid. Qui quidem
Dauid, quanquam ipsum illum corticem & ritus pa-

trios sacrificandi etiam tum more & usurpatione re-
tineret, uoluntate iam tamen, ut ex uerbis hisce appa-
ret, ac sententia repudiabat, totumque sese ad hæc
nostra & christiana conferebat, neque aut in sacrifi-
cijs cum maclatur, ante altare Dei uictima, aut in
holocaustis, cum flammis hostia tota adoletur, spem
suam reponebat, sed in uero & acceptabili sacrifi-
cio, quod est.

**Sacrificium Deo spiritus contri-
tus, cor contritum & humiliatum
Deus non despicias.**

Spiritus contritus fides est, per quam planè cre-
dimus in Deum, præceptisq; ipsius obtemperamus
libenter, & institutis ac legibus facile acquiescimus,
sapimusq; non plus quàm oportet, sed sapimus ad so-
brietatem. Nam qui ingenijs arrogantibus præditi
altius & liberius uolunt euolare, ac sibi met ipsis con-
fidunt, ij non spiritum contritum, sed uagum & tu-
mentem in se possident, maximoq; sunt in periculo
constituti, ne uelut pennis cæra compactis, ex alto in
præceps corruant. Illud Deo gratum, illud acce-
ptum sacrificium est, quod in fide pura illi offertur,
& in humilitate, & tamen nihil est tam conficiens
humilitatis, quàm fides. Quis enim fidem habet &
facile

facile alij credit superbus? Ac pars quidem hominis
potior mentis & rationis, cuius spiritus substantia
est, uiuit ex huiusmodi fide, per eam enim maxime
Deo coniungitur. Altera autem posterior pars,
quæ sensus & cupiditates omnes continet, quorum
cor fons est & origo, ut totum hominem indicet sa-
crum Dei esse, & totum illi offerri oportere, per
pœnitentiam & dolorem peccatorum conteritur, ac
sub obedientiam Dei & ordinem redigitur. In quo
quidem sacrificio grato atq; placabili humanitatis no-
stræ expressa conditio est, qui nulla carnis aut sangui-
nis necessitate compellimur, quo minus fidem inte-
gram & stabilem teneamus, spiritumq; erga Deum
contritum, hoc est, non durum, non contumacem,
non repugnantem illius legi. Ab eadem uero carne
& sanguine imbibimus (de illis non loquor, si quos
Deus in hac uita, præpotenti manu sua, à labe perni-
ciosorum criminum illesos conseruat) ut simus ad de-
linquendum proni atq; proclues, cuius tamen erro-
ris emendatio, est delicti pœnitentia. Ita spiritus qui-
dem contritus subiectionem fidei & uoluntatem faci-
lem ac solutam ad credendum indicat, quæ nulla ob-
durescit aduersus Deum contumacia. Cor uero con-
tritum & humiliatum dolorem facinoris admissi coar-
guit, quod salutaris expiat pœnitentia, quo nullum
d uij

Deo gratius, nec minus despicabile à nobis est sacrificium.

Benigne fac domine in bona uoluntate tua Sion, & ædificentur muri Hierusalem.

Dixit de sacrificio, nunc loquitur de loco sacrificij, sed ita, ut quemadmodum uerum sacrificium, non in tauris & uictimis, sed in spiritu & corde esse uoluit, sic uerum sacrificandi locum in spiritali Sion & Hierusalem intelligat. Nam quid spiritui cum mœnibus & operibus manu factis potest conuenire? ac cõsonat quidem historiae temporum hæc extrema orationis huius comprecatio. Non enim à Dauide, sed à filio Dauidis Solomone cõstructa mœnia Hierusalem, atq; urbs illa trino murorum ambitu cincta fuit. Templum quoq; Domino mirabili opere fuit ædificatum, q̄ eius condendi potestas ablata à Dauide fuerat, propter bellorum undiq; imminentium impetus, atq; ut omnem Domini ædificationem, opus pacis esse appareret. Sed ut ista quoq; optaret, tunc & designaret Dauid, quem sæpe iam diximus in toto ferè Psalmo hoc, ita describere præsentia, ut multo magis inhaereat futuris, q̄ quemadmodum rerum index oratio est, ita res illæ, erant tanquam imagines & argumēta meliorum

liorum longe quæ uenturæ erant rerum, ut inquam
desyderaret Dauid muniri Hierusalem, templum ex=
trui, adorationes & sacrificia ibidem celebrari, ta=
men in illis corporum simulacris, quæ morti & ruinæ
obnoxia intelligebat, non immorabatur, ut in pro=
posito fini. Sed longius spe ac desyderio progredie=
batur. Atq; ad hæc perfectæ iam & uera atq; æter=
na contendebat, spiritale sacrificium, ad spiritalem
Sion, & Hierusalem referebat. Quem sensum eius
Prophético spiritu tanto ante futura prospicientem
Christus IESVS in Euangelio, ipso exitu rerum
iam comprobatum declarauit, cum Samaritanæ mu=
lieri, apud fontem Iacob percunctanti, utrum ibi, an
in Hierusalem adorari Dominum oporteret, his uer=
his respondit. Mulier, crede mihi, uenit hora &
nunc est, quando neq; in monte hoc, neq; in Hiero=
solyms adorabitis patrem, sed u. ri adoratores, ado=
rabunt patrem in spiritu & ueritate. Nam & pater
tales quærit qui adorent se. Spiritus est Deus & eos
qui adorant eum, in spiritu & ueritate adorare oportet.
En ueram Sion, ueramq; Hierusalem. An ma=
gis possunt congruere ista inter se? aut maius testimo=
nium quærimus, Dauidem pronunciaisse futura, quæ
ijsdem propè uerbis Dominus noster demōstret facta?
Ille sacrificium & uictimas Deo aspernabiles esse in=
d 5

quit, hic patrem eos quærerere, qui adorent in spiritu.
Ille spiritum & cor, uerum & gratum Deo esse affir-
mat sacrificium, hic ueros adoratores adorare Deum
in spiritu & ueritate. At enim Christus I E S V S
& montem & templum respuit, quæ ille sibi optat.
Sed & Dominus repudiat corporeum, & ille adsci-
scit & designat spiritale. Benigne fac Domine in bo-
na uoluntate tua Sion } Sion, si corpus quæras & ma-
teriam, mons est, in quo Iebusei ciuitas condita fuit,
quam Dauid sibi in regale domicilium electam uoluit
esse Hierusalem. Si uero intelligentiam, atq; myste-
rium, Sion, speculatio est, Hierusalem, uisio pacis.
Muri porro Hierusalem spes, fides, charitas } Bona
autem uoluntas uere illa est præsertim in Deo, quæ
ad benigne faciendum immutabilis & perpetua est,
quam illi ex cementis & materia constructæ Hierusa-
lem, profecto cernimus non contigisse. Benigne er-
go fac Domine in bona uoluntate tua Sion, & ædifi-
centur muri Hierusalem, isti quidem etiam mortales
& interituri, staturi & ipsi tamen quoad licebit,
quoad tua uoluntas tulerit. Verum illi multo magis
æterni & incorruptibiles, qui excitabuntur ex spiri-
tu, per quos cœlestis tua & uere spiritalis ecclesia
munietur, in qua nomen sanctum tuum in spiritu &
in ueritate adorabitur. Cuius ecclesie fundamenta
atq; in

atq; initia, consecranda sunt sanguine filij tui unigeniti à nobis quoq; oriundi, qui ex semine quidem nostro humanitatem accipiet, ex te uero aeterno patre semper habuit diuinitatem. Ac per diuinum illud & incomparabile sacrificium augurato condenda, ad immortalem gloriam tui nominis sempiterni. Cui tu Sion, & cui Hierusalem maxime benigne facies. Cū filium trades tuū, in quo peccatum non erit, pro illis qui peccarint, in ara crucis immolandum, ut illius morte & sanguine redempti omnes, & à graui iugo captiuitatis liberati, quo domiti antea & subacti principi tenebrarum, exitialis militiae nefarium sacramentum dixerint, ad sancta & legitima munia caelestis militiae reducantur, uiasque eodem praecunte filio tuo edoceantur, & ueritatis, & salutis, & immortalitatis.

Tunc acceptabis sacrificium iustitiae, oblationes & holocausta, tunc imponent super altare tuum uitulos.

Constructis moenibus Hierusalem, & edificato templo, ex omni quidem Iudaea, atq; adeo ex finitimis quoq; nationibus confluebant, qui Deo sacra facere & immolare hostias instituerant, eratq; celebre

Et frequens multitudine aduentium, in templo Domini sacrificium. Sed hæc paulo ante sacra, hæc holocausta repudiavit, neque illis delectatus est Deus. Quo pacto igitur ea mox est acceptaturus? aut quomodo loquitur David non repugnantia? Animum aduertamus, quaeso, et cum Propheta ipso intelligamus quæ nam sacrificia accepturus Deus sit, ac quantum nobis datum est, ea illi, et corde et opere offeramus. Nam si solitarie, ac simpliciter sacrificium dixisset, erat ratio et locus dubitandi. Dixit autem sacrificium iustitiæ, quo uerbo, omnis ambiguitas sublata est. Non enim errat Spiritus sanctus, non labitur, non discordia et pugnantia effatur. Iustitiæ sacrificium est sine tauro etiam et uictima. Taurum autem et uictimam, et in uniuersum illiusmodi sacrificia aspernatus fuerat Deus. Sacrum uero iustitiæ, qui potest aspernari? acceptat ille id semper et appetit, et odoris eius sentit suauitatem. Illud uideamus, utra magis in Hierusalem, et utro in templo sacrificium illi iustitiæ offeratur. In illa ne materiali et corporea, an hac, quam Christus IESVS extruxit, cœlesti et spiritali. Nam si uetusta Iudæorum sacrificia attendimus, inueniemus in illis non iustitiã, sed simulacrum quoddam potius et uestigium leuiter impressum iustitiæ extitisse. Quæ enim ratio, aut quod est equi

est equitatis argumentum, ut tu grauius delinquas,
et morte uictima plectatur? blandiri hoc est, et assen-
tari nobis ipsis. Quid commeruit ouis, si tu facinus
commisisti? aut qua spe putas, cum fratri tuo dam-
num aut contumeliam feceris, posse te scelus illud cae-
sarum cruore uictimarum expiare? prorsus nil uerae,
absolutaeque iustitiae in sacrificijs talibus inesse potest.
Quid ita ergo à Domino instituta fuerunt? diximus
iam, ut populus per haec sacra in unius Dei cultu te-
neretur. Primum enim uicinitate, deinde etiam con-
tubernio, Aegyptiorum moribus assuefactus, uel eti-
am in ipso humani generis primordio, cum altiorum
nondum mysteriorum capax esset, ab Deo ipso edo-
ctus, cum sacrificijs deditus esset, iustius utique Deo
uiuenti sacrificaret, quam fictis et mortuis dijs. At cur
eum quoque morem sancti uiri et Prophetae quibus ar-
cana Dei reuelata fuerant, sequebantur? quia non
erat fas, quod praecipuum omnibus et multo maxime
partis causa statutum erat paucos declinare, singu-
laremque ritum colendarum religionum habere uelle.
Atque illi tamen, qui ueri sacrificij uim et rationem, ac
futuram spiritalem Sion nouerant, uenerabantur illam
iam animo. Cumque usum communium sacrificiorum
populo concederent, ueritatem et intelligentiam si-
bi retinebant. In illis itaque Iudaeorum sacrificijs, non

in ipsis quidem, sed eatenus quoad legi scriptæ & ma-
iorum obtemperabatur authoritati, iustitia erat, uel
iustitiæ potius imago, atq; umbra quædam. Cum
enim quis peccatum commisisset, quod mortem pœ-
nam reposceret, dabatur quidem mors, sed per so-
phisma quodammodo & deceptionem, non hominis
qui deliquisset, sed ouis aut hirci, qui nihil comme-
ruisset. Illud unum uere sanctum in eo sacrificio atq;
iustum, q; in honorem Dei uiuentis immolabatur, &
illius nomini gratiæ tamen agebantur. In nostra uero
spirituali Hierusalem, in qua solum adoratur Deus in
ueritate & Spiritu, non modo iustitiæ sacrificia assi-
due offeruntur, sed ea ipsa iustitia proprium Deo est
sacrificiũ. Non enim deriuamus pœnas delinquentiũ
in ignaras delicti & innocentes hostias, sed illud ip-
sum maectamus & immolamus Deo, quod peccauit.
Siue enim exarsit libido, ieiunia & continentia illam
iugulamus, siue iracundia incitata est, frangimus eam
diuinæ offensionis metu. Tumorem quoq; animi &
arrogantiam et effusas omnium generum cupiditates,
æquanimittatis & temperantiæ legibus coercemus,
atq; harum ueluti beluarum, siquæ paululũ modo per-
fractis uinculis, ac ruptis obicibus modestiæ, ad fa-
cinus aliquod proruperint, legisq; ac rationis impe-
rium uiolauerint, adest continuo ultrix perpetrati sce-
leris

teris pœnitentiâ, quæ illas oblatas antè altare Dei, hoc sacrificium iustitiæ maxime uolentis, pio & debito mactet supplicio, quarum cruor lachrymæ sunt, balatus, Dei misericordiæ imploratio, mors ad immortalitatem se recipiens, uita. Hoc iustitiæ sacrificium uere acceptat Deus, hæc illi grata, hæc propitiabilis est uictima, quam Iudæi in externa imagine & simulacro, nos in Spiritu & ueritate offerimus, ac ut in omnibus rebus appareat, illos, umbras rerum, nos, res ipsas complexos esse, illi sæpenumero falsis inanum deorum opinionibus deprauati, quas pecudes & hostias Deo debebant offerre, fictis Dijs offerebant, quodq; unum in sacris suis iustū & salutare habebant, honorem uidelicet & nomen omnipotentis Dei, id ultro ad perniciem & ad iniquitatem conuertebant. Nos in intestino sacrificio uero & spiritali, si Dei honori & nomini uictimas illas deferimus, nihil sanctius, nihil iustius, nihil salutaris. Vim enim totam pietatis & iustitiæ prorsus obtinemus. Si uero hominum existimationi & laudi, & uel ambitioni nostræ, uel emolumento, atq; utilitati immolamus, ut illud Deo gratissimum sacrificium, sic hæc pessima & exitiabilis est idololatria, tãto Hebraicis illis aureis uitulis, Dijs gentium deterior, quanto magis impium est corrumpere ipsammet iustitiam, q̄ si

mulacrum iustitiæ peruertere . Hoc in Dauide Spiritus sanctus optime prouidens , non solum datum fore sacrificium iustitiæ Deo dixit , idq; Deum grate acceptaturum , sed oblationes etiam addidit . Quæ sunt Græce , ἀναφορὰ , quasi dona , quæ propter uirtutem quidem & in præmij loco hominibus deferuntur . Sed ab eisdem postea ad Deum referuntur , postibusq; in sacris ac parietibus figuntur , ut si cui ex uirtutis merito , & q; cupiditates suas egregie uicerit , laus ab hominibus tributa est , ad eam ipse non modo , ut ad finem non contendat , neq; ipsi in uirtute nauanda elaboret , sed illam quoq; præterea ante Deum suspendat , tanq̃ coronam & præmium publice acceptum , secum una Deo bonorum omnium largitori consecrans . Et holocausta . Holocausta uera sunt , cum correptis mentibus nostris amore erga summum Deum , & uoluntate eodem studio inflammata , tantum ex ignibus illis charitatis flagrat incendium , ut cupiditates quoq; amissa contumacia & tanquam lasciuienti consumpta uiriditate , eisdem flammarum globis & uerticibus hauriantur , ac in amorem Dei omnes penitus conuertantur . Tunc imponent super altare tuum uitulos . Quoniam ueræ iustitiæ partes duæ sunt , una amor & cultus , honorq; summi Dei , altera beneuolentia & curatio proximi . Perfecta parte priore , & uere cœlesti

esti sacrificio ex ea Deo oblato, quando ex holocau-
sto nihil omnino relinquitur, quod Dei honori con-
sumptum non sit, non omisit etiam posteriorem, quæ
amore & charitate in proximum tota continetur, ut
sacrificium iustitiæ plenum, atq; perfectum penitus
haberemus. Cuius quidem iustitiæ posterioris usus,
atq; exercitatio tam sæpe, tantoq; opere, in nouo
& ueteri testamento præcipitur, tantisq; condecora-
tur laudibus, ut facile appareat, hac unâ re potissi-
mum & charitate erga propinquos, dignos nos effi-
ci, qui Deo esse curæ & cordi debeamus. Dimitti-
mus enim debitoribus nostris, si uolumus nobis dimit-
ti, & misericordiam impartimur, ut misericordiam
impetremus, terrenamq; opem egentibus impendi-
mus, ut uili sanè precio, atq; exigua opera cœlestem
illam ipsam opem demereamur. Vituli quippe ucluti
delitiæ armentorum & exuberatio quædam est, unde
benigne alijs faciendi copia suppeditat, his uidelicet
qui oppressi paupertate atq; inopia, subsidio indigēt
quotidiano, quibus admirabili dispensatione magni
Dei, iccirco sæpe necessaria desunt, ut tu, cui abun-
dant summministrando illis, & uictui, incolumita-
tiq; eorum suppeditando, liberalitatis & humanita-
tis, & eius quæ omnium uirtutum caput est charita-

e

tis meritum & fructum consequare . Tibi uero ad dē
tribuendum & dilargiendum data sunt , ut qui alie-
nam opem expectare coguntur , uirtutum unam ma-
xime perfectricem patientiam melius adipiscantur .
Præclarum quidem esset , & ipsis angelis pene par ,
largiri ipsa etiam armenta , omnemq; prorsus substan-
tiã , & corpus integrum patrimoniij in pauperes ero-
gare , solo Christi nomine & amore contentum , ne-
gligentem in semetipso partem eam , quæ lutea , fra-
gilisq; est , illam uero perpetuam , ac spiritalem unam
attendentem , illi uni uacantem , atq; inseruentem ,
per quam , si recte ea curata nobis sit , supra homi-
nem euehimur , & similes Dei fimus . Sed si in tam
diuerso usu , & usq; adeo distractis à sensibili mundo
opinionibus , hæc durior uitæ plerisq; uideatur esse
conditio , saltem quæ exuberant tibi , saltem quæ su-
perfluunt , quæ à te in delitijs & ad redundantiam ha-
bentur , illa inquam saltem pauperibus tribuantur .
Habes armentū , hoc est patrimoniū , quo omnes à tuo
capite necessitates , oēs propulsare difficultates potes .
Quid amplius opus est ? certa tibi uectigalia & uitæ
adiumēta non desunt . Da egenis atq; inopibus super-
flua , uerū ita da , ut in altari Domini , uituli abs te im-
ponātur , id est , ut apud Deum gratia , fructusq; meriti
huius ,

huius, nō apud homines ponatur . Da inquam quērēs
Deo uni, non ulli humanæ affectioni, nec carni, aut san-
guini satisfacere . Neq; id ex tristitia aut necessitate,
ob quod etiam uituli nominati sunt, tanq̄ iugo adhuc
nullo domiti & subacti, sed sicut sponte destinasti in
corde tuo & in propria uoluntate . Hilarem enim da-
torem diligit Deus, cui hoc oblato iustitiæ minoris sa-
crificio, gradum nobis facile extruimus ad apicem &
fastigium diuiniore etiam iustitiæ perueniendi, quam
cognoscimus nos quidem, laudamus, expetimus, ad-
miramur . Facultatem quoq; nobis dari eius assequen-
de intelligimus, nec beatus quicquam reputamus, q̄
Deo penitus esse & amore & studio coniunctum .
Quo minus uero id agamus, & operam nauemus,
quod nauandum esse comprehendimus intelligentia,
quæ nam obsecro caussa, aut uis est, quæ nos auertit
& abstrahit, qui obex, quod impedimentum, quæ
intus, & in animo inclusa seditio? cur ego sana men-
te cum sim & iudicio integro, non ago sæpe ea tamen
quæ sani hominis & rite iudicantis esse uideantur?
Quomodo iniquitates meæ supergressæ sunt caput me-
um, & sicut onus graue grauata sunt super me? pu-
truerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insi-
pientiæ meæ? Usq; eo ne prolapsus sum, usq; eo ne

relangui & defeci in memetipso, & ab omni uiri uir-
tute, constantiaq; discessi, ut stare his, quæ decreuit
ipse sæpe, quæq; à me totiens constituta sunt, non-
dum etiam possim, nec Deo meo, meo uni bono ad-
hærerere. O beatos, qui potuerunt, foelices, qui ad-
hæserunt. Quando ego uos o sancti & beati, non
laudabo solum, uerum etiam aliqua ex parte imita-
bor? Dolet, dolet cor mihi, cum intelligo qui sim,
& quis nimirum essem, si Dei in me dona recogno-
scerem, atq; eius singularibus beneficijs, mea grata
& cõstans, debita pietate uoluntas respõderet. Quæ
uelle tamen hoc agere uidetur, & quod uult nequaquã
efficit. Propter importunas quidem reclamaciones &
dissidia intestina obluetantium cupiditatum, quibus
adhuc pares esse non possumus. Circunuenti enim,
circunuenti inquam ab illis fuimus, siue ignari ab ini-
tio quid ageretur, siue etiam negligentes. Quarum
nunc ex acerba & tristi obsidione, ut nosmetipsos ex-
imere & liberare possimus, non à nobis ipsis, sed ab
eodem Domino Deo, auxilium nobis est præsens expe-
tendum. Domine ante te omne desyderium meum,
& gemitus meus à te non est absconditus, qui si uero
dolore expressus est, si hæ lachrymæ solent tuam in-
enarrabilem clementiam ad ignoscendum miseris &
ad

ad iuuandum commouere, ut ille peccatum commis=
sum lauent, etiam in me obsecro atq; obtestor omni=
potentiam tuam semen ipsum peccati & totum plan=
tarium proluant, ut omni mala stirpe radicitus euulsa,
semen uerbi tui sanctum & salutare, fruticari in ani=
mo meo cum sexagesimo, aut quando benignitatis tue
modus non est, etiam cum centesimo possit. Ac po=
steaq; misertus mei secundum magnam misericordiam
tuam fueris, postq; peccata mea deleueris, meq; ultro
etiam spiritu principali confirmaueris, docere possim
iniquos uias tuas, & laudem tuam pleno ore annun=
tiare, ac illud tibi offerre sacrificium iustitiæ, quod su=
pra omnia in conspectu tuo gratum, amabile, acce=
ptabile, desyderatumq; est. Per quod & sa=
lus nostra perpetua, & tua sempiterna
gloria apud nos constituitur, qui
uiuis & regnas in æternum, &
ultra, Trinus, & Vnus,
Amen.


e. iij



40 ¹²/₁₄

AB 40 ¹²/₁₄

X 2200158
Sh



IAC
DOL
CAR
Inter

Hagd
AN

